



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Meretrix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

animam significantes, Leonis os hians facere consueverunt. Hujus factoris ergo, Martialis videtur a muliebri pudendum Leonem appellasse eo versu:

*Quare si pudor est Ligella, noli
Barbam vellere mortuo Leoni.*

Taxat enim eam, quæ cum vetula esset, pilos vellere pertentaret: & alii lupanar olidum dixere. Quanquam non desint, qui loci hujus interpretationem longius accersitam, ad Cenchrenas, quas Leones Nicander appellavit, referant: hujusmodi enim serpentis morfu sanguinem exorbent, & genitale: semen ex pretiosissima sanguinis decoctione fieri Medici consentiunt, unde dixit Juvenalis:

Accipiat sane mercedem sanguinis.

MERETRIX. CAP. XXI.

Sane meretrices per Leænæ nomen intelligi, multis veterum sententiis & monumentis constat. Tale aliquid habes apud Aristoph. Lysistrate in juramento feminarum, *Non stabo Leæna in Tyro-ensi.* Hujusmodi petulantia causa Ezechiel Hierosolymam Leænæ vocat, & Heliachim catulum ejus, qui ductus est in Egyptum. Alium rursus catulum Joachim, quem in cavea, ut Septuaginta ediderunt, Nabuchodonosor Babylonia traduxit. Michael Byzantius meretrices quasdam ex Megara Sphinges appellatas ait, quod humano capite mansuetudinem præ se ferrent, ceterum corpore reliquo Leonino, rapacitatem & imperium, quod in amatores exercent, indicaret. Et Megaricæ Sphinges in opprobrium dici solitum de meretricibus, ob impuros scilicet mores Megarensum, quos veterum scriptores omnes damnant. Facit ad hanc rem veteris Poetæ senariolus admodum venustus:

*Ἴσων λεαίνης καὶ γυναικὸς αἰ μέρης.
Par est Leænæ & femina crudelitas.*

Sed & ante urbem Corinthum Veneris erat templum, juxtaque Laidis tumulus, cui Leænæ simulachrum appositum videbatur, ariete inter priores pedes apprehenso: quod nimirum petulantiam eam indicabat, qua præcipue lasciviunt arietes: de quibus loco suo diximus.

TACITURNITAS. CAP. XXII.

Leænæ vero elinguis simulachrum ex ære, quod Athenienses statuere, Iphicratis opus, ex effigie quidem Leænæ, meretricis nomen, ex linguæ vero defectu, taciturnitatem ejus indicabat. Cum enim Armodius & Aristogiton de liberanda à tyrannis patria consilium iniissent, conjuratioque delata esset, comprehensam illi Leænæ sortum eorum utrique admodum familiare, ad mortem usque tormentis variis excruciarunt, ea tamen constantissime omnia pertulit, nec quemquam prodidit, supra femineam imbecillitatem fortitudinis admirandæ memorandum exemplum: quam Athenienses, ut honoribus honestarent, ne sortum tamen celebrare viderentur, ejusdem nominis animal ob taciturnitatem elingue, erigendum decrevere. Constantissimum meretricis hujus exemplum citat Tertullianus, quo nostri animosiores fierent, cum levi adeo de causa repertæ sint vel mulieres, quæ tam forti animo pro amicorum salute non solum tormenta parvi fecerint intolerabilia, sed ipse ponte suum ipsæ cruciatum auxerint. Nam hæc eadem, ut ille ait carnifice jam fatigato postremo linguam suam comestam in faciem tyranni sevientis expuit, ut expueret & vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset.

CYZICENI. CAP. XXIII.

*Cyziceno-
rum pecu-
nia.*

Si quis vero incidat in monetam, quæ Leonis imaginem ex una parte habeat, ex altera vero Cybele deorum matrem, sciat eam esse Cyzicenorum pecuniam, quæ celebris admodum est, ob id, quod



*Sphinges
Megaricæ.*

*Armodii &
Aristogitonis factum
celebre.*